

1509

tes quatuor mille quadringenti optime armis instructi , ipsi & ætate & corporibus spectari maxime & timeri digni , & nisi animus eorum ducibus defuisset , ad eam urbem tuendam præclare idonei : equitesque **LX.** cum tormentis & impedimentis & magno fœminarum & calonum numero abierunt ; Gasparque Severinas cum equitibus paucis : atque ii cum Veronam petere vellent , Bassianum iter facere sunt jussi . Postremi equites Juliani **CXX.** qui una cum reliquis imperata Maximiliani faciebant , oppido egressi Ferrariam profecti sunt . quibus emissis omnibus , imperator & legati se in oppidum intulerunt : quos civitas incredibili lætitia exceptit , ut prope ab interitu erepti esse omnes viderentur .

Senatus iis de rebus certior factus , cum legati ad eum scripsissent , imperatori esse in animo ad Montanianum reliqua eo ab latere municipia , quæ ab hostibus tenebantur , exercitum ducere : eo consilio improbato , literas ad eos dedit , victoriæ ipforum ad magnas res conficiendas cursum levioribus iis occupationibus non esse interpellandum : nec fortunæ reipublicæ afflanti , & præsto ei esse properanti , moram afferri oportere . itaque ad Veronam recipiendum statim contenderent : fore enim , si eo celeriter se conserrent , ut hostes imparati offendantur , civitasque & amico per se in rempublicam animo , & hostium durissimis imperiis lacepsita , oppido non communito , primo aggressu se se dedat , uti Vicetina fecerit . Atque ut exemplo ejus reliquæ civitates optimam de republica spem caperent , Vicetiae atque agri ejus finiumque incolis quinque annos omnium rerum atque onerum levatio est permitta : utque ii , qui debent , annum ad solvendum cogi nequeant , ei legi additum . Aloisio etiam Porto , e Vicetina nobilitate fortis ac præstantis animi adolescenti , ob ejus in rempublicam studium , ad equos levis armaturæ , quos ei Senatus antea dederat , alteri totidem sunt ab eodem Senatu additi . etiam , ut legati edictum proponerent : si cives , qui in hostium partibus fuissent , intra dies **XV.** Vicetiam redierint , veniam illis a Senatu datum iri , præter